
325

B

54

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

325 B 54
9.
AW

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
LEGITIMA,

QUAM,
Adſpirante Divino Numine
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris
D. JOHANNIS SCHOTANI,
Phil. Doctoris, Ejuſdemque Facultatis Profeſſoris Clariſſimi,

NEC NON

Ampliſſimi Senatus Academici unanimi Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS
Summiſque in utroque jure Honoribus ac Privilegiis rite & legitime conſequendis,
Publico Eruditorum Examini ſubmittit

GELLIUS SIXTI,
Leovard. Friſius.

Ad diem Jun. MDCXCIII.



FRANEQUERÆ,
Apud JOHANNEM GYSELAAR, Illuſtr. Friſiæ Ordd. atque Eorundem Academiæ Typograph. Ordinar. MDCXCIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

DEO,

PATRIÆ,

FAUTORIBUS,

ATQUE

AMICIS.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS, DE LEGITIMA.

PRÆFATIO.

IUs naturæ dictat, & nihil rationi magis eſt conſentaneum, quam ut quisque eum quem procreavit, tueatur, & ut ei, cui vitam dedit, ſimul etiam ſuppeditet ea, ſine quibus vita conſervari non poſſit.

Hinc naturalis ille ſtimulus parentes ad educationem liberorum ſuorum hortatur, & ad alimenta ipſis, dum vivunt, præſtanda, & ut poſt mortem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

aliquid ipſis relinquant, ſi non totam hæreditatem, ſaltem talem portionem, quæ pro alimentis eis quodammodò ſufficere poſſit; ſed cum illius portionis quantitas jure naturæ non ſit definita, leges civiles eam ad certam quantitatem determinarunt; unde illa portio dicitur LEGITIMA, cujus Legitimæ materiam, tam ob jucunditatem, quam in hodiernâ praxi utilitatem, paucis (aſpirante Divino Numine) pro viribus exponere, operæ pretium duxi. Initium igitur faciamus à Definitione.

C A P. I.

Definitio Legitimæ.

Legitima eſt portio, quam lex certis perſonis, ex ſubſtantiâ defuncti, neceſſariò relinqui jubet. Eſt autem portio hæreditatis, quia legitima eſt portio ejus, quod ab inteſtato ad filium erat perventurum *l.* 31. *C. d. inoff. teſt: l.* 8. §. 6. *ff. eod.* hoc autem neceſſariò eſt hæreditatis, quin, cum hodiè titulo inſtutionis debeat relinqui legitima *ut mox in cap.* 5. *latius* nihil eſt dubii, quin rectè dicatur portio hæreditatis. Verum quia æs alienum prius eſt deducendum, antequam legitima capiatur *l.* 8. §. 9. *D. d. inoff. teſt:* Hinc non ineptè etiam dicitur legitimam eſſe portionem bonorum, quia bona cujusque intelliguntur, quæ deducto ære alieno ſuperſunt, *l.* 39. §. 1. *D. d. Verborum ſign.* Exinde tamen non ſequitur legitimam non rectè etiam dici portionem hæreditatis, quia ratio legitimæ non prius poteſt haberi, niſi creditoribus dimiſſis, qui ſi ſint dimiſſi legitima illa rectè dicitur portio bonorum, ſi verò antè deductum æs alienum legitima capiatur, ſinè

dubio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

dubio erit portio hæreditatis, & qui accepit eam tenetur etiam proratâ iſtius portionis de ære alieno,eaque impenſis funerum, & libertatibus tunc minuitur *l.* 8. §. 9. *D. inoff. teſt:* Ita ut, eventu inſpecto, utrum ſit portio hæreditatis, vel bonorum, res eodem redeat. Eſt autem portio hæreditatis, ſed non totius hæreditatis,ſed portionis cuique ab inteſtato debitæ *l.* 8. §. 6. *D. d. inoff. teſt: l.* 31. *C. eod.* Niſi quis omnibus liberis ſuis ſimul reliquerit legitimam, quià tum nihil intereſt, utrum illi accipiant portionem totius hæreditatis, vel an quiſque capiat portionem ejus, quod ab inteſtato ipſis deberetur, ſed ſi quidam liberi ſint hæredes inſtituti, & quibusdam legitima ſit relicta, tum legitima ſemper erit portio ejus, quod ab inteſtato ad ipſos erat perventurum.

Lex jubet, ut hæc portio certis perſonis relinquatur, non quod legitima materialiter ſit ex jure civili, quippe originem ſuam habet ex jure naturæ *l.* 7. *D. d. Bon. Damn.* & *ut ſupra in præf.* ſed quoad formam, quia jus civile certam quantitatem, modum item relinquendi, aliaque plura præſcripſit, hinc dicitur, quod lex eam relinqui præcipiat, & hoc reſpectu juris civilis dici poteſt.

Quæ verò ſit illa lex, quæ primo legitimam inter Romanos introduxit, nondum ſatis conſtat, tametſi quidam exiſtiment à Divo Marco primò conſtitutum eſſe, ut liberis quadrans relinquatur, quidam putent ad exemplum legis Falcidiæ eam eſſe introductam, cum & adhuc interdum Falcidia appelletur *l.* 31. *C. d. inoff. teſt: l.* 5. §. 3. *C. ad Jul. Maj.* Alii verò tradunt lege Gliciâ fuiſſe introductam, *arg. Inſcript: l.* 4. *D. d. inoff. teſt.* ſed non opus eſt, ut tam anxiè de origine hujus legitimæ ſimus ſolliciti, cum nobis ſufficiat, illam legibus eſſe receptam, & approbatam. Nunc quibus legitima ſit relinquenda videamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

CAP. II.
Quibus Legitima debetur.

PErſonarum, quibus legitima debetur, triplex eſt ordo, liberorum, aſſcendentium, & certo reſpectu fratrum, & Sororum. Primò debetur liberis utriusque ſexus, tam maſculis quam fœminis, tam ſuis, quam emancipatis *l.4.C. d. Liber. præt. & exhær.* nec non poſtumis, *§. 2. Inſt. d. Inoff. teſt.* ſi modo juſto tempore vivi nati fuerint, *l. 3. § pen. & ult. D. d. Suis & leg. hæred. l. 12. D. d. Stat. hom.* licet voce non emiſsâ, illicò deceſſerint, nec ad monſtrum declinent. *l. 3. C. d. Poſt. hæred. inſt.* Etiam legitimatis, quia perinde ut legitimi liberi omnia jura conſequuntur, *l. 5. l. 10. C. d. Nat. lib. Nov. 89. Cap. 9.* Arrogatis puberibus etiam relinquenda eſt legitima, non impuberi arrogato, nam ille habet quartam ex conſtitutione Divi Pii *l. 8. §. 15. D. d. Inoff. teſt.* etiam ab aſſcendentibus adoptatis, quia hi æquè, ac legitimi patris arrogantis familiæ, & poteſtati ſunt ſuppoſiti, ejisdemque ferè juribus potiantur *l. 10. C. d. Adopt. §. 2. Inſt. d. Hæred. quæ ab inteſt.* Naturalibus, ſive nothis à matre etiam debetur legitima, *l. 2. l. 8. D. Und. cog.* non à patre, quia non habent querelam inofficioſi teſtamenti contra teſtamentum patris, ideoque nec legitimam. *Auth. licet C. d. Natu. lib. l. 2. C. eod.* Spuriis, ſive incerto patre natis, à patre non debetur legitima, quia nullum intelliguntur habere patrem, à matre verò debetur, pater enim poteſt eſſe incertus, mater non poteſt, *§. 3. Inſt. d. Senat. Orph.* excipiuntur fœminæ illuſtres, quæ alios adhuc habent liberos legitimos, *l. 5. C. ad SCt. Orph.* Inceſtuoſis autem, adulterinis, & ex damnato coitu natis, nulla, ne quidem à matre debetur legitima *l. 6. C. d. Inceſt. & inut. Nupt.* ſed

planè

planè à legibus projiciuntur, ita, ut ne alimentis quidem digni habeantur. *Nov*. 89. *in fin*. Nepotibus, & neptibus, patre præmortuo, etiam debetur legitima, *l*. 34. *C. d. Inoff. teſt*. *l*. 8. §. 8. *D. eod.* cum & ſub appellatione filiorum contineantur *l*. 201. *D. d. V. S.*

Secundò aſſcendentibus debetur legitima, tam patri, & per lineam paternam aſſcendentibus, quam matri, & per lineam maternam aſſcendentibus, ſecundum gradus prærogativam *in Nov*. 118. *Cap*. 2. deſcriptam, idque propter reverentiam, & gratitudinem, quam liberi parentibus debent, cùm eis turbato mortalitatis ordine non minus piè, debeantur bona liberorum, quam liberis bona parentum *l*. 15. *D. d. Inoff. teſt*. ad temperandam ſcilicet doloris vehementiam, quam ex immaturo liberorum obitu capiunt. Competit igitur legitima patri, ſi liberi ſint emancipati, non ſi in poteſtate ſint conſtituti, quoniam tum teſtamentum facere non poſſunt, niſi de bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus, ex quibus legitima non debetur, quia teſtamenta de illis bonis, querelæ inofficioſi non ſubjacent, *l. ult. C. d. Inoff. teſt. l. ult. C. Qui teſt. facer. poſ.* Patre mortuo, matri ſemper debetur legitima, niſi filius jure militari teſtetur, *l*. 27. *§*. 2. *D. d. inoff. teſt. l*. 9. *C. eod.* vel pater filio extraneum hæredem pupillariter ſubſtituerit, *l*. 8. *§*. 5. *D. d. Inoff. teſt*. eo enim caſu non opus eſt, ut legitima matri relinquatur, nec ingratitudinis filius poteſt argui, ipſe enim non fecit teſtamentum, verum pater hoc ei fecit, nec conjux conjugi tenetur relinquere legitimam.

Tertiò fratribus, & ſoribus etiam competit legitima, ſed non niſi certo caſu, nempe ſi frater turpem, infamem, vel levis notæ maculâ aſperſam perſonam inſtituat hæredem *l*. 27. *C. d. Inoff. teſt*. tametſi enim frater fratri, vel ſoror ſorori, non tantum debeat, quantum parentes liberis, vel liberi parentibus: eo tamen ipſo officium pietatis violatur, quod

frater

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

frater vel ſoror, turpes, & infames perſonas, fratribus, & ſororibus, et quidem immerentibus præfert. At non tantum fratribus Germanis, ſed et conſanguineis legitima relinquenda eſt. *d. l.* 27. *C. d. Inoff. teſt.* et poſt *Nov.* 118. *Cap.* 4. etiam uterinis, cum Juſtinianus omnem differentiam ibi tollat inter eos qui per maſculos, vel per fœminas nobis ſunt juncti, idque non tantum in ſucceſſione ab inteſtato, ſed *in quâcunque ſucceſſione, aut hæreditate.*

Ex eo autem, quod fratri à fratre debeatur legitima: ſi ſcriptus hæres infamiæ, turpitudinis, aut levis notæ maculâ aſpergatur, quæritur, an ſpurius etiam pro tali perſonâ debeat haberi? Quod videtur negandum, primò, quia ſpurii ad dignitatem decurionatus recipiantur *l.* 3 §. 2. *D. d. Decur.* ad quam infames, et turpes perſonæ non admittuntur, *l.* 2. *C. d. Dignit.* Deinde, quia turpitudo, et infamia ex propriis actionibus proficiſcitur, *l.* 5. §. 1. *D. d. Extraord. Cogn.* ex fornicatione autem naſci, non eſt ejus culpa qui naſcitur, ſed qui generat, *l.* 6. *D. d. Decurio:* Nec ex eo, quod legitimè natus competitor in dignitatibus ipſis præferatur *l.* 3. §. 2. *D. d. Decur.* ſequitur ſpurios aliquâ levis notæ maculâ laborare, ideoque fratri in hoc caſu legitimam eſſe relinquendam; Nam nobilis cum ignobili in dignitatibis concurrens, præferetur plebeio, & tamen hoc ejus famam minimè gravat *l.* 14. §. 3. *d. Mun: & Honor:*

CAP. III.

Quantitas Legitimæ.

Quantitas legitimæ olim erat quadrans, id eſt quarta pars, ejus portionis, quæ ab inteſtato cuique obtingeret, *l.* 8. §. 6. *D. d. Inoff. teſt; l.* 31. *C. eod.* Hodiè eſt triens, id eſt

tertia,

tertia pars hæreditatis, ſi quatuor, vel pauciores extent liberi, ſemis verò, ſive dimidia pars hæreditatis, ſi quinque ſint liberi, vel plures, *Nov.* 18. *Cap.* 1. Si igitur teſtator quatuor, vel pauciores habens liberos, & duodecim millia in bonis, legitimam ipſis reliquerit, habebunt quatuor millia, id eſt tertiam partem hæreditatis, quæ ſumma æqualiter inter eos dividitur, ſi verò quatuor habens liberos, tres hæredes inſtituerit, quarto reliquerit legitimam, quartus non habebit tertiam partem totius hæreditatis, ſed portionis, quæ ab inteſtato ipſi debetur, id eſt quartæ partis, ita ut pro legitimâ tunc capiet unciam, ſive mille florenos. Si quinque, vel plures habuerit liberos, pro legitimâ accipient dimidiam partem, id eſt ſex millia, ſed ſi uni ex ſex liberis reliquerit legitimam, habebit dimidiam partem ſextæ partis, id eſt unciam, ſive in noſtro caſu mille florenos, ita ut, reſpectu ejus, cui legitima relinquitur nihil interſit, an ſint quatuor, vel ſex liberi, nam utroque caſu eſt uncia, ſive mille floreni.

Non immeritò Imperator legitimam auxit, iniquum enim erat, quartam tantum totius ſubſtantiæ partem pluribus relinquere liberis, reliquum verò extraneis, atque adeò extraneos locupletare, liberos autem in paupertate relinquere.

Aucta autem eſt legitima non tantum in filiis, ſed etiam in nepotibus, & ex veriori ſententiâ, etiam in parentibus & fratibus, idque clarè patet ex verbis Juſtiniani in *Nov.* 18. *Cap.* 1. *in fin.* ubi generaliter ait ſe augere portionem debitam, in his omnibus, qui eâ non relictâ, de inofficioſo teſtamento olim queri poterant, atqui parentibus, & fratribus in caſu 27. *C. d. Inoff. teſt.* querelam quadrantis nomine, olim non fuiſſe denegatam palàm eſt §. 1. *inſt. d. Inoff. teſt. l.* 1. *l.* 15. *D. eod.* Quamvis autem negari non poſſit, in præfatione *Dict. Nov.* 18. tantum fieri mentionem liberorum, non autem parentum, & fratrum, tamen id quod de liberis ibi conſtituitur, poſteà *in fin. Cap.* 1. ad omnes generaliter perſonas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

nas, quæ olim habuerunt querelam inofficioſi extenditur, idque non rarò à Juſtiniano ſit *vid. l. 35. §. ult. C. d. Inoff. teſt.*

Sed cum legitimæ quantitas variat pro numero liberorum quæritur, an filius juſtè exhæredatus, etiam connumeretur? Ex. gr. Pater habet duos filios, unum exheredavit, alteri legitimam reliquit, quæritur, an legitima erit triens totius hæreditatis, vel dimidiæ partis, nam ſi juſtè exhæredatus connumeretur, legitima erit triens dimidiæ partis, ſi non, erit triens totius hæreditatis, & eſſe trientem dimidiæ partis, ita ut exhæredatus connumeretur verius eſt *l. 8. §. 8. D. d. Inoff. teſt.* quia legitima eſt *pars ejus, quod ad filium eſſet perventurum, ſi inteſtatus paterfamilias deceſſiſſet*, ita ut, ſi hoc relinquatur ei, qui excluſus habet querelam, *ſecure teſtetur, l. 8. §. 6. D. d. inoff. teſt.* atqui ſi paterfamilias inteſtatus deceſſiſſet, filius in noſtro caſu habuiſſet dimidiam partem hæreditatis, ergò cum ipſi nunc legitima ſit relicta, erit portio iſtius dimidiæ partis, non totius hæreditatis.

CAP. IV.

Objectum Legitimæ.

Objectum legitimæ ſunt res, quæ ex ſubſtantiâ defuncti proveniunt, *l. 36. C. d. Inoff. teſt. Nov. 18. Cap. 1.* & quæ nulli oneri, aut gravamini ſunt ſuppoſitæ *l. 32. C. d. Inoff. teſt.* hinc legitima eſt præſtanda ex ipſis corporibus hæreditariis, non ex rebus certis, ita ut pater non poſſit filio legitimam aſſignare in quibuſcunque rebus voluerit, nec ille in quibuſcunque rebus aſſignatam accipere cogitur, nam ſi ipſi legitimam aſſignaverit in pecuniâ, vel in rebus immobilibus, filius non tenetur eſſe contentus, ſed ex omnibus bonis aliquid

quid capere poteſt, modò jure dici queat, aliquid gravaminis eſſe in alterutro. Legitima autem non debetur ex illis bonis, quæ pater poſt mortem ſuam alii reſtituere obligatus eſt, neque de bonis alienari prohibitis.

Inſtituio etiam ex ſolâ proprietate legitimæ non valet, Sed liberi, & Uſumfructum, & proprietatem legitimæ habere debent, *Nov.* 18. *Cap.* 3.

Deinde legitima ab omni onere, & gravamine debet eſſe libera, neque diem, conditionem, modum, aliaque obſtacula admittit, *l.* 32. *C. d. Inoff. Teſt.* quia iſthæc portio, legis potius, ſive juris eſt proviſio, quam hominis, vel teſtatoris, ideoque quem teſtator non honoravit, eundem nec gravare, poterit, *Arg. l.* 1. §. 6. *D. d. Leg.* 3. Illud autem, quod legitima non poſſit onerari, ſive gravari, non eſt intelligendum de illis oneribus, quæ jam antea bonis patris impoſita fuerunt, nempe ſi onere, aut ære alieno bona teſtatoris ſint gravata, ſiquidem hæc, & ſimilia onera, rectè tranſeunt cum legitimâ ad filium, vel prius deducuntur, quam legitima ſolvitur: ſed intelligendum eſt de onere conditionis, fidecommiſſi, dilationis, & ſimili gravimine â teſtatore in odium filii impoſito, bonis illis, quæ filio loco legitimæ debent aſſignari.

Si tamen teſtator aliquod onus, vel gravamen legitimæ appoſuerit teſtamentum per hoc non efficitur nullum, nec querelæ Inofficioſi teſtamenti ſubjicitur, ſed gravamen appoſitum removetur, & habetur, ac ſi non fuiſſet adjectum *l.* 32. *C. d. Inoff. Teſt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

CAP. V.

Quo titulo Legitima debet relinqui.

Legitima olim poterat relinqui Titulo ſingulari, id eſt Titulo donationis mortis causâ, legati, ſive fidecommiſſi, *l. 8. §. 6. D. d. Inoff. Teſt. §. ult. Inſt. eod. Nov. 18. Cap. 1.*

Hodie relinquenda eſt legitima titulo univerſali inſtitutionis, *Nov. 115. Cap. 3.* alioquin teſtamentum erit nullum, vel per querelam reſcindetur. Hujuſque ratio conſiſtit in eo, partim quod titulus inſtitutionis honorabilior legato, & omnibus aliis titulis cenſeatur, utpote per quem teſtator inſtitutum hæredem in locum ſuum ſubſtituat, ut ipſum quaſi repræſentet, *l. 5. §. 6. d. leg. præſt.* partim propter jus accreſcendi, quod competit hæredibus in casu deficientis portionis non legatariis *l. 59. §. 3. D. d. Hæred. inſt.*

Non tantum autem in teſtamento ſolenni, verum etiam minus ſolenni, puta inter liberos, inſtitutio illa eſt neceſſaria, idque propter generalitatem Textus *in Nov. 115. Cap. 3.* eique adſtipulantem *Nov. 107. Cap. 1.* Satis autem Titulo inſtitutionis relicta videtur legitima, cum quis hiſce verbis utitur: *Accipiat, relinquo, vel tribuo* filio meo legitimam, quia indubio teſtator ſe legi conformaſſe præſumitur, ſicque legitimam prout jura volunt, reliquiſſe, *Arg: l. 30. D. d. V. O. l. 15. C. d. Teſt.* Non tantum autem liberis, titulo inſtitutionis relinquenda eſt legitima, verum etiam parentibus & fratribus in caſu *l. 27. C. d. Inoff. Teſt.* per *Nov. 115. C. 4.* nam ſi titulo legati ipſis ſit relicta legitima, habentur pro præteritis, eiſdemque competit querela Inofficioſi teſtamenti *l. 1. l. 14. D. d. Inoff. Teſt.* Relinqui itaque debet legitima titulo inſtitutionis, idque *neceſſariò ut ſupra in def:* ita ut nec â lege tolli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

tolli queat, quia quod jure naturali debetur jure civili tolli non poteſt §. 11. *Inſt. d. jur. Natu.* atqui legitimam jure naturali deberi filiis, conſtat. *l.* 7. §. 1. *Si tab. Teſt. null. ext.* Deinde etiam quia legitima eſt ſurrogata in locum alimentorum, quæ, cum jure naturali debeantur *pr. Inſt. d. Jur. Nat.* tolli non poſſunt. Idem etiam de legitimâ parentum eſt dicendum, quia parentibus naturali jure & ratione, alimenta etiam præſtanda ſunt, *l.* 5. §. 16. *d. Agn. & alend. l.* 1. *C. d. Alend. lib.* idque propter obſequium, & gratitudinem parentibus debitam. fratrum autem, & ſororum letimam tolli poſſe non eſt dubium, cum ex merâ juris civilis diſpoſitione debeatur *l.* 27. *C. d. Inoff. Teſt.* ideoque eodem jure tolli poſſit §. *pen. Inſt. d. Jur. Natu.*

Minui autem, vel augeri poſſe legitimam, operosâ probatione non indiget, cum ex ſupra dictis manifeſtum ſit, olim aliam, quam hodie eſt, quantitatem illius fuiſſe, & quotam legitimæ â jure civili eſſe introductam, & per conſequens recte etiam alio jure augeri, vel minui poſſe, aſſignatio enim alimentorum non ita in puncto conſiſtit, ſed arctari, vel relaxari diverſimodè poteſt.

Sed non opus eſt ut hæc legitima tota titulo inſtitutionis relinquatur, ſufficit enim ſi in aliquibus rebus tantum, licet minimis, titulo Univerſali inſtituantur *Nov.* 115. *Cap.* 3. *&* 5. Salvâ tamen actione ad implementum legitimæ, *l.* 36. *C. d. Inoff. Teſt. Nov.* 115. *Cap.* 5. *dequâ mox latius*, & in legitimam imputatis, quæcunque ex ſubſtantiâ defuncti, titulo legati, fidecommiſſi, donationis mortis causa, alioque ultimæ voluntatis titulo, ad perſonas, quibus legitima debetur, pervenerunt, *l.* 30. §. 2. *l.* 36. *C. d. Inoff. Teſt.* Dos etiam profectitia, quemadmodum & donatio ptopter nuptias, in legitimam imputatur, ſi ex ſubſtantia ejus profecta ſit de cujus hæreditate agitur *l.* 29. *C. d. Inoff. Teſt.*

Donationes inter vivos ſimplicitur factæ, imputationi eximur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

muntur, niſi hac conditione ſint factæ, ut in legitimam filio computentur *l.* 35. §. 2. *C. d. Inoff. Teſt.* Quia res inter vivos filio â patre donata, â bonis ejus abſceſſit, legitima autem liberis debetur eorum bonorum quæ morientis fuerunt *l.* 6. *C. Inoff. Teſt.*

Sumptus ſtudiorum, Doctorales, vel in nuptias liberis non imputantur in legitimam, illa enim tantum in legitimam imputantur, quæ lex ſpecialiter imputari voluit, *l.* 20. *C. d. Coll.* nulla autem eſt lex quæ impenſas illas imputari jubet. Tum quia illi ſumptus collationi bonorum non ſunt obnoxii, ſed propter onera dignitatis, præcipui habentur *l.* 1. §. 16. *D. d. Coll. l.* 50. *D. fam. ercis.* ideoque etiam in legitimam non imputantur, nam ea quæ in legitimam imputantur, etiam conferuntur *l. pen. C. d. Coll.*

Quod ad filium ex ſubſtitutione pupillari, vel exemplari obvenit, non imputatur, quia, licet ex teſtamento patris, in bonis tamen pupilli, vel fratris ſuccedit, ita ut illæ res non ſint ex ſubſtantia patris, quod tamen requiritur, ut imputioni obnoxiæ ſint. *l.* 36. *pr. C. d. Inoff. Teſt.* Idem eſt in illis rebus, quæ jure accreſcendi alicui obveniunt, modo legitimæ locus fiat, ante caſum ſubſtitutionis, vel accretionis.

Ex eo autem, quod filius hæres teſtamento debeat inſtitui in legitimâ, ſequitur, patrem vivum nullo modo ad legitimam præſtandam poſſe compelli, quia viventis nulla eſt hæreditas *l.* 1. *D. d. hæred. vel act. vend. l.* 1. §. 21. *D. d. Coll.* ſed ſi pater omnia ſua bona dilapidet, & nulla ſpes emendationis ſuperſit, paratum erit remedium interdictionis bonorum *l.* 1. *D. d. Curat. furio*, vel ſi filii putent illud remedium nimis eſſe injurioſum patri, petere poſſunt ut ſibi bona quædam neceſſaria pro alimentis aſſignentur. Immodica etiam donatio, vel dotis conſtitutio, vivo etiam patre, tanquam inofficioſa reſcindi, & revocari poteſt. *l.* 5. *C. d. Inoff.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

Inoff. Donat. Nov. 92. Datur etiam caſus, quo parens in vitâ ſuâ, ſoboli ſuæ legitimam aſſignare debet, ſi nempe monaſterium ingrediatur, *Auth. ingreſſi*, & *Auth. ſi qua mulier C. d. SS. Eccleſ. Auth. nunc autem C. d. Epiſcopis.* quia tum civiliter intelligitur eſſe mortuus.

CAP. VI.

Actiones, ad Legitimam petendam.

Competunt pro conſequendâ legitimâ diverſæ actiones, primò datur hæreditatis petitio *l.* 10. *§.* 1. *d. Hared. pet. l.* 1. *D. ſi pars hæred. pet.* quia titulo hæreditario debetur, legitima. Datur etiam interdictum *ex l. fin. C. d. Edict. Div. Had. toll.* Deinde datur etiam actio familiæ erciſcundæ, *l.* 1. *l.* 2. *D. fam. loc.* Si vero hæres conventus, legitimam exſolvere recuſat, ſed de eâ litigare maluerit, vel moram in illâ præſtandâ commiſerit, non tantum ad legitimam præſtandam cogetur, verum hoc amplius etiam, in tertiam relictæ quantitatis partem ſolvendam, condemnabitur, *ut avaritia ejus legitimis ictibus feriatur l.* 33. *C. d. Inoff. teſt.*

Si verò minus ſit relictum quam legitima, datur condictio ad ſupplementum legitimæ ex *l.* 30. *C. d. Inoff. teſt.* quæ non tantum datur liberis, & parentibus, etiamſi illud minimum ſimpliciter, ſine mentione repletionis factâ, acceperint *l.* 35. *§.* 2. *C. d. Inoff. teſt.* verum etiam fratribus, & ſororibus, in caſu turpis perſonæ inſtitutæ, non aliter tamen, quam ſi turpitudinem prius probaverint.

Datur hæc actio ad ſupplementum contra hæredem *Nov.* 115. *Cap.* 5. & pro re natâ contra legatarios, & illud ſupplementum, ex naturâ acceſſorii eiſdem munitum eſt juribus, quibus ipſa legitima, *l.* 36. *C. d. Inoff. teſt.*

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

CAP. VII.

Quomodo Legitima Amittitur.

Amittitur denique legitima præſcriptione 30 annorum, quia omnes actiones hoc nomine competentes illo temporis ſpatio perimuntur *l. 3. C. d. Præſcrip. 30. vel 40. ann.* Condictio ad ſupplementum Legitimæ non quinquennio terminatur, cum illud ſpatium condictioni nusquam adſcriptum legatur, ſed ſpatio triginta annorum, quod perſonalibus judiciis commune eſt, perimitur, *l. 3. C. d. Præſ. 30. vel 40. ann.* Amittitur etiam legitima exhæredatione ritè, & ex juſtâ cauſâ facta, nam ſi filius unam, ex quatuordecim illis cauſis ingratitudinis in *Nov. 115. Cap. 3.* præſcriptis, contra patrem commiſerit, vel pater unam ex octo illis cauſis in *d. Nov. Cap. 4.* præſcriptis contra filium, vel frater unam ex tribus illis cauſis *in Nov. 22. Cap. 47.* comprehenſis contra fratrem, vel ſororem, exhæredatio cum effectu poteſt fieri, ita ut ne legitima quidem tali ingrato debeatur.

Renunciatione non amittitur legitima, nam ſi filius vivo patre pactus ſit, ſe non petiturum legitimam, pactum illud nullius eſt momenti, *l. 94. d. Acqui. hæred. l. 35. §. 1. C. d. Inoff. teſt.* quia liberi paternæ reverentiæ metu facilè ad ejusmodi pactiones adduci poſſent. Si vero poſt mortem renunciatio facta ſit, vel tale pactum cum hærede ſit initium, pleniſſimum habebit effectum *d. l. 35. §. 1. in fin.*

SOLI DEO GLORIA.

C O-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

COROLLARIA.

I.

Qui per errorem alium pro alio occidit tenetur lege Corneliâ.

II.

Mandans non tenetur lege Corneliâ ſi tantum vulnus mandaverit, & mandatarius hominem occiderit.

III.

Negotiorum geſtor præſtat culpam levisſimam.

IV.

Non licet tranſigere de crimine falſi.

V.

Quî debitori tradidit unum ex duobus chirographis videtur remiſiſſe debitum.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

LOF-GEDICHT
Ter eeren van den Wÿſen en Verſtandigen
JONGELINGH
GELLIUS SIXTI,
Als hy na geleerde redenwiſſeling met de hoogſte lof *der beyden Rechten Doctor* gemaeckt wierde.

Men ſpreeckt veel van het wettich Deel.
En hoe, en wie het mach gebeuren,
Men twiſt, men raeskalt, en 't krackeel
Doet veelmael beurs, en ooren ſcheuren.

Maer eiſt ghy dit op 't netſt geſchift,
Uyt Rooms, uyt Inlands wet, en Rechten.
Doorlees dan dit geleerd geſchrift,
't Welck wijſlijck kan 't geſchil beſlechten.

Of eiſt een by de pen de tongh,
Hy gae waer vlijt, en tijt beloonen
Het leerſaam Brein, 't welck flugh en jongh,
Het geen het ſchreef komt vaerdig toonen.

Hoe heughlijck ſiert de Ringh de hand,
En 't geen een Doctor kan voltoyen,
Geluck mijn Vriend, het Vaderland
Eiſt U, om 't Recht te recht te ployen.

Geluck oock Moeder welck U Zoon,
Siet op dees dach, als ſeegepralen,
Dit 's mee een parel aen U Kroon,
Die 'k wens den Hemel lang wil ſparen.

HECTOR REICHENBACH,
Med. Doct. & S. F. Rector.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

ΕΙΣ
ΓΕΛΛΙΟΝ ΤΟΝ ΣΙΞΤΟΥ

Πῶς μὲν ἐγ' ὑμνήσω, πάντως εὐΰμνον ἐοῦσαν
Τὴν Φρισίων γενεὴν; Πρῶτοι μέσσοισι λέγονται
Καὶ πύματοι, πόλλων μαλὰ δὴ προφερέστεροι ἄλλων,
Γνώσεσι παντοίαις τέχναισί τε κεκασμένοι ἐσθλαῖς,
Ὧν τόσσον κλέος ἐστὶν ὅσσον τ' ἐπικίδναται ἠὼς.
Ταύτης τοι γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχεται εἶναι
Σιξπαδὴς θαλέθων, Φρισίων τε ἐπήρατον ἔρνος.
Ἠϊθέῳ κείνῳ Μουσάων ἔργα μέμηλε,
Καί τε Δικαιοσύνης ἐρικύδεος ἄκρος ἄωτος.
Ἐκ γάρ τοι τούτων φάτις ἀνθρώπους ἀναβαίνει.
Ἔλδεται οἱ θυμὸς Φρισίων μετὰ ἴχνια βαίνειν
Καὶ νῦν ἐν Φρανέκρᾳ, πρὶν ὕστατον ἦμαρ ἰδέσθαι,
Πόλλων ἐν στομάτεσσιν ἀριζήλοισι φερέσθαι.
Ἔξοχε τῶν κούρων προφέρε μένος. οὐδέ τι σε χρὴ
Ἐστέμμεναι μέλεον. Σοὶ ἐπίρροθος ἔσται Ἀθήνη.
Τί πλώσσεις, τί δ' ὀπιπεύεις πολέμοιο γεφύρας;
Σιξπαδὰς φιλέει καὶ σώζει Τριτογένεια.
Σιξπαδὰς ποιεῖ πάντων ὑπὲρ ἔμμεναι ἄλλων.
Κεῖται σοὶ στέφανος. κεῖται σοὶ κῦδος ἄριστον,
Καί τ' αἰεὶ φήμην Φρισίοις ἐναλίγκιος ἔσσεαι.

Ι. ΣΙΒΡΑΝΔΑ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

Aen den ſelven.

Welkom volmaeckte geeſt, volherſent Jongeling,
Wie ſal 't verſtant afmaalen,
En ſtellen op papier? komt *Pallas* voeſterling,
O pronkbeelt van haer eer! ghy ſult hier lof behaalen

In dit ons *Fries Atheen.* U onvermoeide vlijdt,
Verhart in wetten ſiften,
Doordringht het ſcherp verſtant, al wie daer tegen ſtrijdt,
Ghy wijſt de waerheyt aen, uit vaſt gegronde ſchriften.

Dees kennis is verſelt, met een oprechte deught,
En loffelijcke ſeeden,
Die niemant laaken kan, maar alle *Frieſe Jeught*,
Uitſchatert uwen lof, en wijſſelijcke reeden.

Tot ſpijt van *Eris* ſelf, heeft *Pallas* my belooft,
U met een krans te cieren,
En met haar eygen hant, te vlechten om U hooft,
Een krans van Myrte blaen vermenght met Lauwerieren.

Wilt dan gevleickte *Faam* met ſoo een ſoet geſchal,
Rondt om den aſpunt rennen,
En ſchatren uit ſijn lof, op dat men overal,
In wat geweſt men komt ſal *Gellius Sixti* kennen.

Cognato cecinit

J. G. FORTUYN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 54